ADDITAMENTVM DISSERTATIONIS PRAECEDENTIS,

DE CORPORVM PLANO IMPOSITORVM DESCENSV:

AVCTORE
G. W. Krafft.

§. 1.

Vt haec Theoria conuolutionis corporum ſuper plano inclinato rectius intelligatur, et vlterius luce perfundatur ſua: operae praetium omnino erit ad haec ſequentia attendere, quorum mentio in praecedentibus aut plane nulla, aut minus diſtincta, facta eſt. Primo omni cura diſcernenda eſt Rotatio, corporis alicuius deſcendentis in plano inclinato, *Continua*, ab illa, quam *Inchoatam* tantum dico. Illa adeſt, ſi durante toto corporis deſcenſu ſemper diuerſa puncta corporis cum plano congruunt; adeoque obtinet, et corpus vertit, quamdiu hoc deſcendit: haec vero datur, cum corpus in primo motus ſui initio rotatorium motum inchoat quidem, at continuare eum nequit, ob impedimentum aliquod obortum, vnde accidit, vt corpus tale prolabatur tantum, et reliquum poſtea viae motu reptorio abſoluat; quae poſterior Rotatio inchoata *Simplex procidentia* corporis vocari poteſt. Veluti ſi ex. gr. plano inclinato ABD ſemicirculus FLH ſitu valde obliquo inſiſtat, vt ex centro grauitatis C perpendicularis CE, demiſſa in planum DB, cadat extra F verſus B; patet ex diſſertationis meae praecedentis §. 8. futurum eſſe, vt ſemicirculus

Tab. I. Fig. 3.

ita